

## Festum Circumcisionis Domini.

72

datisque dedit; in iusticijs, quas fecit; in premijs, quæ dabit. Ad hæc hortatur septem rationibus, ut iustitiam nobis copulemus. I. quia est grata Deo 2. quia immortalis est. 3. quia nos defendit. 4. quia vt indumento decorat. 5. à morte perpetua liberat. 6. tuetur nos in iudicio. 7. in gloria sublimat. II. Honestissimus: ad quam virtutem excitat. III. Elegantissimus; & pulchritudinem exigit à nobis, fide & operibus. IV. Sapientissimus, quod probat, & ad sapientiam hortatur. V. Veracissimus, vt soluat iustis præmia: impijs supplicia infligat. Et persuaderet ut simus veraces. VI. Suauiissimus, in ipsum credentibus, ipsum amantibus, & bene operantibus. Vult ergo nos esse suaves, corde, ore, opere. Ibid. serm. 9. de temp. à pag. 21. col. 1. ad 24. col. 2.

S. A M B R O S I U S sermonem hac de habuit, in quo Christianos, quod adhuc paganorum ac Calendarum Ianuarij superstitiones colant & retineant, acri- ter obiurgat, & quod nullus sit templo Dei cum idolis consensus, exaggerat. Tom. 5. col. 15.

S. A S T E R I I homilia in festum Calendarum, in qua duo eloquentissime tractat. I. superstitiones, dementias, & vanitates, quæ hac die suo tempore ostentari consueverant, patefacit. II. earum studiosos & amatores ab erronea hac obseruantia, diabolicoque inuenio detergere atque auocare conatur. pag. 51. 52. & ultra usque ad pag. 60.

S. V. B E D E homilia in Euangelio in qua agit de circumcisione carinali, & baptismo, de nomine Christiani & de circumcisione spirituali non manu facta, sed petra mystica, hoc est, Christo facienda. Tom. 7. col. 317.

S. BERNARDI sermo primus, de Christi circumcisione per humilitatem non per necessitatem facta: de necessitate nostræ circumcisionis, ac de triplici testimonio nostræ salutis, quod habere debemus, ab Angelo, à Matre, & à Ioseph, hoc est, mystice, à propria conscientia, à congregacione & Ecclesia, & à superiore ac prælato, col. 67. & sequentibus.

A. Biusdem sermo secundus, de præcepto circumcisionis antiquæ cur Christus circumcidì voluerit, & de multis nominibus Christi, sub hoc nomine Iesu contentis. col. 69.

Eiusdem sermo tertius, quod Christus caput nostrum circumcisionem velut medicinam suscepit, vt nos, membra eius, sanitatem reciperemus; & quod octo mysticos dies transigere habemus priusquam ad perfectam circumcisionem, & nominis salutis receptionem perueniamus. Iti autem dies dicuntur; iustitia, prudentia, fortitudinis, temperancia, patientia, humilitatis, devotionis, & discretionis, vel obedientiae. col. 70. & sequentibus.

B. Item eiusdem initium sermonis primi in Epiphania huic diei est accommodandum: agit enim I. de benignitate Dei per humanitatem Christi apparentem. II. de nomine Iesu III. de fiducia in Christum Iesum & humanitatem ipsius habenda. Serm. I. in Epiph. col. 73. 74. & 75.

Item eiusdem sermo 4. in Epiphania Domini est de Circumcisione col. 81. & illud Domini ad Ioannem Baptistam Sic debet nos implere omnem iustitiam exponitur.

C. \* BERNARDINI SENENSIS in Domini circumcisione, sermo, de triumphali nomine Iesu, Primo. Quadruplex dulcedo acquiritur in spe nominis regis Iesu. I. remissio omnium peccatorum; 2. morum renouatio, quæ remissionem sequatur; 3. spiritualis consolatio quæ remissionem peccati & renouationem vitæ consequitur; 4. à demonibus defensio. Secundo. Quadruplex gratia infunditur per nomen Iesu. I. enim, ad spem primæ gratiæ sublevat, illuminat intellectum ad deuotam invocationem nominis Iesu; 2. animam charitate inflammat ex dilectione nominis Iesu; 3. humanam mentem vigore roboret; 4. à grauibus periculis liberat. Tertio Nomen Iesu gloriosum est. quia 1. desiderium sui in anima prouocat, ideo desiderabile; 2. suavitate supernaturali eam replet, ideo delectabile; 3. admiratione dignum est, siue admirabile; 4. ita est venerabile, vt ab eius laude nullus excipiatur status & locus, nullus